UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorvm Omnivm; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap XL. Peccatum mortale auferre orationi valorem, & efficaciam, quam habet ad dona, misericordiasque à Deo impetrandas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46756

Visual Library

rum perſonâ terreſiant, pœnitentiam citò agant, & ab omni malitiâ abſtineant; quemadmodum Sapiens nos admonet, dicens: a *Ne ſequaris concupiſcentiam* malam *cordis tui*, confidens *in* ſanitate & *fortitudine tuâ*; quamuis enim *Deus* nunc diſſimulet, tamen iniuriam, quam ei facis, *vindicans vindicabit. Ne dixeris, peccaui; & quid mihi* in pecctorum meorum pœnam *accidit triſte? Altiſſimus enim* Deus, licet ad aliquod tempus cum longanimitate toleret, & expectet, non te impunitum dimittet, cum ita ad tolerandum ſit *patiens*, vt etiam ad puniendum ſit iuſtus.

Peccatum mortale auferre orationi valorem, & efficaciam, quam habet, ad dona, miſericordiáſq; à Deo impetrandas.

CAP. XL.

INgens hominibus ratione præditis incumbit neceſſitas orandi; primùm,

a *Ecclic. 5. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia ſaluari non poſſunt ſine gratiâ, & ſine virtutibus, vt iuſtificentur, & ſine Dei fauoribus, auxilijſque, vt benè viuant, & in bonâ vitâ perſeuerent; & medium hæc dona, fauoreſque conſequendi eſt oratio. Ita docuit S. Iacobus dicens: *a Siquis indiget dono ſapientiæ, poſtulet à Deo.* Atque hoc donum eſt amoroſa cognitio Dei, quæ fidem & charitatẽ complectitur; quo dono omnes indigent. Vniuerſim omnia ad ſalutẽ neceſſaria conſequendi medium hoc eſſe nos docuit Chriſtus D. N. dicens: *b Petite, & accipietis.* Sumus inſuper in hac vitâ circumdati à viſibilibus, & inuiſibilibus inimicis, qui animã noſtram impugnant, vt eam in conſenſum peccati, & in interitum pertrahant; & medium, ne ab his hoſtibus vincamur, morteque culpæ, & æternæ damnationis occidamur, eſt oratio; quemadmodum idem Chriſtus declarauit, cum dixit: *c Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem;*

a *Iac. 1. 5.* b *Luc. 11. 9.* c *Matth. 26. 41.*

nem; hoc eſt, ne à tentatione vincami-
ni. Præterea cæleſtis veritas eſt, non
poſſe obtineri finem prædeſtinationis,
omneſque ceteras res ab æterno ordi-
natas à Deo, niſi adhibendo media,
quæ idem Deus decreuit, aſſignauit-
que per diuinam ſuam prouidentiam
ad conſequendum hunc prædeſtina-
tionis finem, qui eſt beatitudo, omneſ-
que ceteræ res ad Dei gloriam, & ſa-
lutem animarum ordinatæ. Et vnum
ex primarijs ad hoc medijs eſt oratio,
quâ petimus à Deo hæc bona, noſque
ad ea accipienda diſponimus. *a* De-
creuerat Deus liberare filios Iſraël ex
captiuitate Babylonicâ poſt elapſos
ſeptuaginta annos, itaque reuelauerat,
& Daniel id perbenè ſciebat; nihilo-
minus tamen magno cum affectu Deũ
orabat, vt ſic exequeretur, quia ſcie-
bat, quamuis Deus decreuiſſet illis li-
bertatem dare, hoc tamen eſſe mediũ,
quo illam conſequi oporteret. *b* Ita
S. Gregorius, *obtineri*, inquit, *nequa-*

a *Dan. 9.3. & 10.3.* b *D. Greg. l. 1. Dial. c. 8.*

quam poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerunt; ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita, vt ad hoc electi, labore perueniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſecula diſpoſuit donare.

Ob has cauſas ſummè neceſſarium eſt ſanctum exercitium orationis, quâ dona à Deo petimus. Quàm reſpiratio homini ad viuendum neceſſaria eſt, tam ei neceſſaria eſt oratio, quâ aſpirat ad Deum, vt iuſtè viuat, operaque vitâ æternâ digna faciat. Et quàm neceſſarium eſt militi, qui in bello ab hoſtibus circumdatus eſt, habere arma ad defendendum ſe, tam eſt homini fideli neceſſaria oratio, quæ eſt ſpiritualis armatura, vt ſe ab inimicis ſuis defendat, nec pereat in prælio, quod cum eis conſerit. Præterquàm verò quod oratio tam neceſſaria eſt, ſummæ quoque eſt vtilitatis, & honoris, & miri-

mirificæ conſolationis; nam per eam plurimum meremur apud Deum, illâque valdè delectatur diuina eius Maieſtas, & homo per eandem multum participat de infinitâ Dei potentiâ, vt poſſit res valdè mirandas, operaque perquàm ſupernaturalia facere. Et per ipſam communicat, ac conuerſatur ſuauiſſimè cum Deo, miſcetque dulciſſima cum eo colloquia: per ipſam impetrat altiſſima à Deo beneficia pro ſe, & pro ſuis proximis: per ipſam obtinet à diuinâ liberalitate, quicquid boni deſiderat, & poteſt pro hac, ęternâque vitâ deſiderare. Et per ipſam obligat Deum (poſito in eius promiſſionibus fundamento) ad dandas ſibi ex iuſtitiâ omnes res ſpirituales, & temporales, quæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt, & per viam miſericordiæ conſequitur gratias, fauoreſque ſuperabundantes, quibus creſcit mirabiliter in omni virtute, & eminentiſſimam inter cæli Sanctos gloriam acquirit. Totum hoc promiſit Chriſtus, dicens:

Amen, Amen dico vobis; ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. a Hic tantus orationis valor ad merendum, & hæc tam mirifica, tamque certa illius ad impetrandum efficacia tollitur per peccatũ mortale; quod etiam orandi animum adimit, & faſtidium, tædiumque orationis affert, præſertim mentalis, & meditationis rerum diuinarum. Adeoque facit, vt homo non oret, &, ſi orat, id faciat corde diſtracto, & vago, paruoque vel nullo cum fructu. Hoc ſæpè teſtatur diuina Scriptura, dicens, orationes peccatorum à Deo non exaudiri. Sapiens ait: *b Quia diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperunt, inuocabunt me, & non exaudiam eos.* Et alibi. *c Longè eſt Dominus ab* exaudiendis *impijs. d* Et rurſum cum maiore exaggeratione, *qui declinat*, inquit, *aures, ne audiat legem Dei,* non ſolùm non exaudietur, ſed & *oratio eius erit* Deo *execrabilis.* Cauſa, cur pec-

a *Ioan.16.23.* b *Prou.1.29.Prou.15.29.* c *Prou.28.9.*

peccatum mortale orationi valorem, efficaciamq́ue adimat, eſt, quia ſiquid oratione merendum, & efficaciter, certoq́ue, quod petitur, impetrandum ſit, oportet eum, qui orat, eſſe Dei amicum, ipſiuſq́; ſeruare præcepta; quemadmodum ſignificauit Chriſtus, dicens: a *Si* per dilectionem *manſeritis in me, & verba mea,* per fidem, obedientiamq́ue *in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* b Et S. Ioannes ab ipſo Domino edoctus, *quicquid,* inquit, à Deo *petierimus, accipiemus, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Cum ergo certum ſit, peccatum mortale tollere gratiam, & amicitiam Dei, & curam eius præcepta ſeruandi, conſequens eſt, vt orationi valorem, efficaciamq́ue tollat. Adhæc vt oratio certam habeat efficaciam impetrandi, debet fieri cum fiduciâ impetrandi id, quod petitur, ſi res ſit, quæ animæ bono conueniat. Hanc fiduci-

duci-

a *Ioan.* 15, 7. b 1. *Ioan.* 3, 22.

duciam requirit Dominus ad orationem, dicens: *a Omnia, quacunque petieritis* à Deo *in oratione credentes*, de manu eius *accipietis*. Iam hanc viuam, & certam fiduciam conſequendi id, quod petitur, tollit peccatum mortale; primùm, quia fundatur in promiſſione à Deo factâ, exaudiendi noſtras orationes, eaſque adimplendi; & hanc promiſſionem ille fecit non ijs, qui ſunt in peccato mortali, ſed iuſtis, aut pœnitentibus; ſicuti declarat Dauid, dicens: *b Oculi* pij, benigniq́ue *Domini ſuper iuſtos* fixi ſunt, vt his omnem fauorem tribuat: *& aures eius* attentæ, ac beneuolæ ſunt ad audiendas, implendaſque *eorum preces. Vultus autem* iracundus *Domini* fixus eſt *ſuper facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum*, hoc eſt, vt ipſos priuet temporali vitâ, & excludat à vitâ æternâ, ne ſit vnquam eorum memoria inter iuſtos. Quoniam igitur peccatores hoc fundamento, & fulcro promiſ-

miſ-

a *Matth. 21. 23.* b *Pſ. 33. 16.*

miſſionis Dei careant, cum is ad eos non loquatur, ſequitur, deeſſe ipſis fiduciam certam, cum quâ orare deberent. Secundò quia hæc fiducia fundatur etiam in bonâ conſcientiâ, vitæque puritate, quæ dat animum, & vigorem ad ſperandum vehementer in Deo; quemadmodum S. Ioannes declarauit, dicens: a *Si cor noſtrum* iure *non reprehenderit*, nec condemnauerit *nos, fiduciam* magnam *habemus ad Deũ; & quicquid* ſaluti noſtræ conueniens *petierimus, accipiemus ab eo.* Et cum peccatoribus hæc bona conſcientia deſit, deeſt quoque eis ad orandum viua, certaque fiducia, quæ ex illâ procedit. Hinc fit, vt orationes peccatorum non habeant certam efficaciam id, quod petunt, impetrandi.

a *1. Ioannis 3. 21.*